

Et mollis varias Austri Languentia mortes  
 Flabra halant, perpende omnes per singula Casus.  
 Annuus an Census, grandes sibi poscere sumptus?  
 Sive Magistratus nimum velit? are graventur  
 Prædia fortè alieno, & prona pericula subsint?  
 Quod primum scivisse juvat, Vicinia qualis?  
 Num mala? vel dubios vexet Contentio fines?  
 An monumenta adsint? & nullâ Lite molesta?  
 Quot pecudes? & quot stabulum mulctralia quâque  
 Luce ferat? satis an fœniquè, herbaquè supersit?  
 Si Nemora & saltus? licita an venatio Cervi?  
 Aut tantum Leporum? an Vivaria pisce probato?  
 Aut Fluvii propè sint, exili aut margine Rivi?  
 Eluvie faciles in proxima currere plana?  
 Num generentur Equi? Num sint Vineta feraci  
 Vendibiliquè Mero? An multo Caldaria zytho?  
 Quantus ager? Quot triticeas sua jugera quovis  
 Mensuras dent anno? & num frumenta serantur?  
 Num desint autumnali pomaria fructu?  
 Si struere ipse tibi proprias vis ditior ades,  
 His diffide viris, quæis mercenaria vita est,  
 In sua nec promptos tu consule commoda Fabros,  
 Promittunt faciles moderata Incommoda sumptus,  
 Sed rebus semel inceptis Impendia crescunt.  
 Quin potiùs prudentem adeo conteris Amicum,  
 Ille tibi insidias versutæ deteget Artis,  
 Quâquè viâ utendum, solida ratione monebit.  
 Non angusta nimis surgat domus, aut nimis ampla,  
 Crimen utriquè subest; sed primò convehat omnem  
 Materiam, Calcem, Sabulum, Lapidesquè Trabesquè.  
 Concinna multum fiat domus omnis Amussi.  
 Fornicibus pars inferior camerata recinctis,  
 Cella cui subsit Vinaria, posta sub Arcto.  
 Cœtera condendi mensura cuilibet esto  
 Libera, dum modo sit robusta & idonea rebus.  
 Maximè & illud agas, tantum quodcunque necesse est